



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 90. Arcanæ Cæsaris literæ ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

„curabo, ut cuncta copiosius per no-
 „vum Legatum Moronum, quem ad
 „Synodum decerno, Cæsari exponeren-
 „tur. „

Sæc. XVI.

A.C. 1563.

§. XC.

Arcanæ Cæsaris literæ ad Papam.

Præter hæc Cæsaris literas, ad quas
 Papa hoc responsum dederat, idem *Pallav. c. 8.*
 Imperator adhuc aliam secretam epi-
 stolam ad eundem perscripserat, in qua
 eidem hæc exponebat: „Quamvis San-
 „ctitas sua ad supremum Ecclesiæ so-
 „lium sit elevata, in memoriam tamen
 „suam revocare oporteret humanam
 „mortalitatem, adeoque necessitatem
 „emendationis maturandæ, antequam
 „ab aliquo infortunio coeptum opus præ-
 „cideretur: Primo autem loco videtur
 „mihi formam excogitandam esse, qua
 „Pontificis electio omnino sancte, recte-
 „que haberetur, ac potissimum sine ulla
 „simoniæ suspitione, siquidem a sano
 „capite in membra reliqua sanitas de-
 „rivatur. „ Postea Cæsar gradum fa-
 ciebat ad creationem Cardinalium, &
 Episcoporum, commemoratis dotibus,
 quæ in illis requiruntur: hanc in
 rem monebat, quantum ab eorum ope-
 re, exemplo, atque existimatione bonum
 ac dignitas Ecclesiæ dependerent; quo-
 niam vero ex Episcopis alii a Ponti-
 fice

Sæcul. XVI. A.C. 1563. fice promovebantur, ac alii nominabantur a Principibus, alii denique ab Ecclesiasticis Collegiis, & Capitulis eligebantur, hinc Cæsar subjungebat, experimento plerumque deprehendi, quod posteriores reliquis minus disciplinæ studiosi existant, adeo, ut dubitari posset de hujusmodi electionum integritate, proin huic malo a summo Pontifice remedium esse opponendum ajebat.

Querebatur postea Cæsar, quod omnia Romanæ deliberationi committerentur, & ibi prius plura in cœtu Pontificis, quam in Tridentina Synodo agerentur, ac proinde duo exstare Concilia viderentur. Satius ex opposito esse ajebat, ut Pontifex ab oecumenica Synodo, quam a suo peculiari conventu, consilium caperet, & ex ea leges quoque ad Pontificia comitia, Romanamque emendationem spectantes ipse constitueret.

Dein Imperator summopere necessarium esse ostendebat, ut residentia Episcoporum definiatur, eoquod quaestio id temporis agitata, an nimirum hæc residentia divini juris sit, necnon locum dederit suspitioni, perinde ac si complures Episcopi ad eam partem propenderent, quam Pontifici gratiorem arbitrarentur. Præterquam suggererat, quod in tres classes Episcopi dividi

Sæc XVI.
A.C 1553.

dividi possent, ita, ut eorum alii aspi-
rent ad Purpuram, alii vero pauperes,
alii opulentis Ecclesiis dotati, ipsis
contenti sint: ubi dubitandum non esse
inquirebat, quin postremi sententias suas
sincere ac juxta conscientiae suae præ-
scriptum dicturi sint, cum interim suspicio-
ni causa suppeteret, an priores eadem
integritate mentem suam aperturi essent,
cum eis residentia forte molesta fo-
ret: quapropter Cæsar rogabat Ponti-
ficem, ut ipse cognosceret, quid sibi fas
esset secundum Deum; quamquam e-
nim ipse Pontifici minime abnegaret au-
toritatem relaxandæ hujus legis, non
tamen alia decernere deberet, nisi quæ
Ecclesiæ utilitatem respiciunt.

Avertat Deus, adjiciebat Cæsar, ut
mihi caderet in animum in minimo ad-
versari Pontificis auctoritati, ab ipso Chri-
sto Domino ei traditæ, qua idem se-
cundum ipsum Christum in terris Ec-
clesiæ caput existit, hac tamen auctori-
tate Papa non utatur nisi ad Dei glo-
riam, fidei incrementum, & Religionis
utilitatem. Hanc epistolam Cæsar ad-
jectis singularibus venerationis, atque
erga Sacram Sedem obsequii testifica-
tionibus absolvit, rursusque Papam in-
vitavit, ut Tridentum peteret.

§. XCI.